



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Agnes V. 21. Ian.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. AGNES V. 21. Ian.

**A**GNES è primâ Romæ nobilitate  
 vix dum annos nata tredecim, can-  
 didum pudoris florem sanguinis sui pur-  
 purâ pinxit. Nam Agno dudum nupta  
 dum oblatum à filio Urbi Præfecti tha-  
 lamum longè repudiat, vestibus spolia-  
 ta in lustrum abripitur, sed mox ab An-  
 gelo bono, divinâ luce contra impuros  
 armatur, & veste de cælo data ornatur.  
 Irrumpentem exinde, de quo dixeramus,  
 CHRISTI rivalem, ideoque à malo  
 dæmone suffocatum vitâ iterum donat,  
 & tamen ab Aspasio flammis addicitur,  
 sed quas ad preces virginis cælestis ros  
 illicò extinxit. Gladio denique trajicitur  
 nova urbis Romæ, sed virgo sed, non la-  
 tro, Lucretia. Porrò dum Emerentiana  
 virgo ad AGNETIS tumulum precatur,  
 lapidibus obruta suoque lustrata sangui-  
 ne (nam fonte sacro non erat) à paren-  
 tibus AGNETIS prope filiam conditur,  
 quibus non multò post inter candidatum  
 virginum agmen AGNES cum AGNO  
 sponso suo visendam se dedit vetuitque  
 deinceps mœerere, & eam felicem tha-  
 lamum, quem optimè nupta inscendisset,  
 lacrimis aspergere. *Ex S. Ambr. &  
 Brev. Rom.*

*Prospectant sancti Angeli tui certami-  
 nis exitum, coronas gemmis coruscantes.*

tenentes in manibus, ut illas perseveranter largiantur, Pudeat te, oro pudeat in conspectu celestis senatus & Imperatoris aeterni segniter dimicare. B. Iustinian. in fascic. amoris.

S. ANASTASIUS MART.  
22. Ianuarij.

O Pima spolia abstulisse in Persiam in Cosrhoas putavit, cum Crucem abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè multorum fides nostra in animum, simul Crux in oculos venit, interque eos ANASTASII celebris magni filii, qui cum de Cruce Crucisque anathemate multa curiosè quærerent, jam tum gestiebat magna pati pro maxima patiente Christo. Itaque sanctissimus transfuga Ierosolimæ Christianum, mox monachum induit; nullâ re sic delectatus, uti res fortiter à Divis gestas legendo, martyribus præsertim, quibus ille tot Palmas tyro invidebat, & interea cum sanguinem nondum posset, lacrimas ubertim fundebat. Ut primum ergo in privato pulvere exercuit sese, prædiit in aciem ultrò hostem læcessens. Igitur ad latomias damnatus saxa tulit, dein verbera. At ille supinus membra etiam nuda lubens pulsanda præbuit, modo vestibus sanctis parcerent. Tanti illi jam tunc fecit cucullum, quem heri